

BREVIS INFORMATIO
DE
QUATUOR MONARCHIIS.

1. *Quanam sunt hæ quatuor Monarchie ?*
Assyrica. Persica. Græca. Romana.
2. *Cur hæ Monarchie præ Regnis aliis principem locum merentur ?*

Tum, quòd potentia, dignitatèque cæteris præstent, tum, & maximè, quòd earundem in sacris Paginis frequentior memoria recurat.

3. *Qua sub imagine Monarchie hæ quiescenti olim Nabuchodonosor Regi obiectæ sunt ?*

Sub specie prægrandis Statuæ, cui caput ex auro, pectus ex argento, venter æneus, crura, pedesque quæ ferrei, quæ lutei erant. Videbat præterea Rex lapillum de monte proximo sua sponte solvi, subin & devolvi, atque adèd ad ipsos statuæ pedes eo impetu allidi, ut universa continuò machina primò quidem iret in præceps, tum in pulveres, tandem & in ven-